



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Athanasia. 27. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Feb.
onæ,
ubi-
npe-
tiam
gines
ASII
a. Et
; sed
c de-
rio.
apud
bonis
the-
at in
Pet.

i.
e lo-
s ob-
cre-
Cal-
dum
xus,
tro-
om-
uce,
ulit,
n, ut
vius
ulce
o la-
acris
imæ
ucis

27. Feb. VITÆ SANCTORVM. 115
Crucis præfetus est. Ultimò Pontifex Gazæ inaugurate signo crucis pluviam è cælo supplex evocavit, infamem Veneris statuam dejecit, & Manichæam mulierem elinguem reddidit; probavitque hunc in crucem amorem ipsum Numen, quando lapsos in puteum tergeminos pueros salvos parentibus reddidit, & miraculosâ cruce insigntos. Illud ad posteros memorabile, cum fana Gazæ nobilissima superstitioni paterent, neque demolitionem horum impetrare jam ab Arcadio posset, supplicasse PORPHYRIVM vix nato Theodosio, & cum hic alieno nutu assensum præbuisset, votorum tandem potitum omnia Deorum templa destruxisse, Deo deinde aliud in Crucis formam ædificasse, & cineri suo, & famæ monumentum. Ex Metaphr.

Memento te et si de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum: sex diebus condidit Deus omnia, & te inter omnia: at verò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terra. O quantum laboravit sustinens carnis necessitatē, hostis tentationes! S. Bern. serm. II. sup. Cant.

S. ATHANASIA. 27. Februarii.

A THANASIAE ANDRONICVM sium junximus, A injuriam facturi utrique si nunc demum di-vortium inter eos fecissemus, quos tot miracula junixerunt. Igitur Antiochiæ agebant sanctissimi conjuges, opesque, quæ multæ illis erant, cum cælo communes habebant. Trientem primum miseri, alterum viri religiosi auferabant, ultimus domesticis usibus cedebat. Heredes cum binos sustulissent, placuit exinde castitati potius, quam liberis operam dare. Intereà illos etiam uno die cælum

cælum rapuit. ATHANASIA, ut impotens ferè matrum dolor est, immoritura mortuis videbatur; sed Julianus martyr, in cuius templo liberorum manibus parentabat, docuit liberis cælum non invidere. Quin imò invidit, sed rectè, uterque parens; &, ut eodem conniteretur, toto asse in miseros abjecto, in diversa cœnobia abiit. Jam anni iverant XII. cum una ambos cupido incessit ad sacra Solymæ loca visendi. Itaque idem paulò pōst iter jungunt, & agnoscit ATHANASIA incognita (vīrum, quō tutius peregrinaretur, pudor induerat) ANDRONICVM suum. Salute datā acceptaque iter silentio transfigitur. Inde regressos excipit eadem cella, alterosque XII. annos ANDRONICVS cum ATHANASIA habitat nescius novi conjugii. Vīrum nempe crediderat. Et erat: mulierem tamen mors & schediasma ponē caput repertū prodidit. Igitur corpus palmis coronatum, & elatū triumphi speciem non funeris præbuit, diuque nihil aliud in ore omnium quām *Femina monachus*, & monachus conjux fuit. *Ex Surio.*

Ideo nudi in seculo nascimur, nudi etiam ad Baptismi lavacrum accedimus, ut nudi quoque & expediti ad calijanuam properemus. incongruum verò & absurdum est, ut quem nudū mater genuit, nudū suscipit Ecclesia, dives velit intrare in cælum. S. Max. serm. de S. Mich.

SS. LUPICINUS ET ROMANUS CC.

28. Februarii.

Eadem studia, & vitæ rationem eandem audies in LUPICINO, & ROMANO, ut meritò fratres credamus germanos fuisse. Ambo siquidem virginitatem à teneris coluere; ambo hostes, qui ad nuptias impellebant, heu! nimium fortes, parentes

tes